



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XIII. De tentationibus reprimendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

cogitationibus affligitur, tunc Deum sibi magis necessarium intelligit, sine quo nihil boni se posse deprehendit.

Tunc etiam tristatur, gemit, & orat pro miseris, quas patitur.

Tunc tædet eum diutius vivere, & mortem optat venire: ut possit dissolvi, & cum Christo esse.

Tunc etiam bene advertit, perfectam securitatem, & plenam pacem in mundo non posse constare.

CAPUT XIII.

De tentationibus reprimendis.

I. **Q**uamdiu in mundo vivimus, sine tribulatione & tentatione esse non possumus.

Unde in Job scriptum est: *Tentatio est vita hominis super terram.*

Ideo unusquisque sollicitus esse deberet circa tentationes suas, & vigilare in orationibus: ne diabolus locum inveniret decipiendi, qui nunquam dormitat, sed *circuit quærens, quem devoret.*

Nemo tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando tentationes: & plene eis carere non possumus.

2. Sunt tamen tentationes homini sæpe valde utiles, licet molestæ sint & graves; quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur.

Omnes Sancti per multas tribulationes & tentationes transierunt, & profecerunt.

Et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt, & defecerunt.

Non est aliquis Ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, ubi non sint tentationes vel aduersitates.

3. Non est homo securus a tentationibus totaliter, quamdiu vixerit: quia in nobis est, unde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus.

Una tentatione, seu tribulatione recedente, alia supervenit: & semper aliquid ad patiendum habebimus, nam bonum felicitatis nostræ perdidimus.

Multi quæerunt tentationes fugere, per i
& gravius incidunt in eas. dere

Per solam fugam non possumus
vincere; sed per patientiam, & ve
ram humilitatem, omnibus hostibus
efficimur fortiores.

4. Qui tantummodo exterius de
clinat, nec radicem evellit, parum
proficiet: imo citius ad eum tenta
tiones accedent, & pejus sentiet.

Paulatim, & per patientiam cum
longanimitate (Deo juvante) melius
superabis, quam cum duritia, & im
portunitate propria.

Sæpius accipe consilium in tenta
tione, & cum tentato noli duriter
agere: sed consolationem ingere,
sicut tibi optares fieri.

5. Initium omnium malarum ten
tationum inconstantia animi, & par
va ad Deum confidentia.

Quia sicut navis sine gubernacu
lo hinc inde a fluctibus impellitur
ita homo remissus: & suum proposi
tum deserens, varie tentatur.

Ignis

Ignis probat ferrum, & tentatio
hominem justum.

Nescimus sæpe quid possumus: sed
tentatio aperit quid sumus.

Vigilandum est tamen, præcipue
circa initium tentationis: quia tunc
facilius hostis vincitur, si ostium
mentis nullatenus intrare finitur;
sed extra limen, statim ut pulsaverit,
illi obviatur.

Unde quidam dixit:

Principiis obsta. Sero medicina paratur,

Cum mala per longas invaluerit moras,

Nam primo occurrit menti simplex
cogitatio: deinde fortis imaginatio:
postea delectatio, & motus pravus,
& assensio.

Sicque paulatim ingreditur hostis
malignus ex toto, dum illi non re-
sistitur in principio.

Et quanto diutius ad resistendum
quis torpuerit: tanto in se quoti-
die debilior fit, & hostis contra
eum potentior.

6. Quidam in principio conversionis suæ graviores tentationes patiuntur; quidam vero in fine.

Quidam vero, quasi per totam vitam suam male habent.

Nonnulli satis leviter tentantur, secundum divinæ ordinationis sapientiam & æquitatem, quæ statum & merita hominum pensat, & cuncta ad Electorum suorum salutem præordinat.

7. Ideo non debemus desperare, cum tentamur: sed eo ferventius Deum exorare, quatenus nos in omni tribulatione dignetur adjuvare: qui utique secundum dictum Pauli *talem faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.*

Humiliemus ergo animas nostras sub manu Dei in omni tribulatione, & tentatione: quia humiles spiritu salvabit, & exaltabit.

8. In tentationibus, & tribulationibus probatur homo, quantum pro-

fe-

fecit: & ibi majus meritum existit,
& virtus melius patescit.

Nec magnum est, si homo devotus sit, & fervidus, cum gravitatem non sentit: sed, si tempore adversitatis patienter se sustinet, spes magni profectus erit.

Quidam a magnis tentationibus custodiuntur: & in parvis quotidianis sæpe vincuntur, ut humiliati nunquam de se ipsis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

CAPUT XIV.

De temerario judicio vitando.

I. **A**d te ipsum oculos reflecte, & aliorum facta caveas judicare. In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, & leviter peccat: seipsum vero judicando & discutiendo, semper fructuose laborat.

Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter judicamus, nam verum judicium, propter privatum amorem, faciliter perdimus.